



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaë

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXVI. De Examine. Approbatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

publicorum tributorum absque violentiâ & injuriâ subditorum per officiales fieri debet. Perez. *C. de Exact. Trib. num. 16.* præsertim circa usuras præses provinciæ non acerbum se exactorem, nec contumeliosum præbeat, sed moderatum & cum efficaciâ benignum & cum instantiâ humanum; nam inter insolentiam incuriosam & diligentiam non ambitiosam multum interest. *l. 33. ff. de usur.* Perez. *Cod. de debitor. Civit. n. 2.* Exactores verò immodesti severe puniuntur. Perez. *C. de Collat. fundor. n. 3.* si autem debitores contumaces sint seque impudenter opponant, ad solutionem cogendi sunt missione in possessionem, sequestratione fructuum, subhastatione. Perez. *C. de Exact. Tribut. n. 17. seq.*

IV.

Officialis, qui debitum non exegit, ipse ad solutionem tenetur. Brunnem. *ad l. 7. C. de Exact. trib. §. 3.*

CAP. XXVI.

De Examine. Approbatione.

Axioma I.

Semel examinatus & approbatus, non est iterum examinandus. *l. licet. 12. C. de Assessor. vid. Barbof. in tract. Clausularum clausula. Si idoneus reperitur, ubi late.*

Limita in professore, qui semel assumtus, si postea minus idoneus reperitur, potest reprobari & removeri. Brunnem. *ad l. 2. C. de Profess. & med.*

II.

Miles & Athleta denum, si tertio victoriam reportavit, præfæcti militia nomen meretur & immunis à muneribus est. Studiosus, qui ter se ritè defendit, præmium meretur; in uno enim eruditionis specimine potest quis casu magis, quàm peritiam, respondere. Perez. *Cod. de atbleris n. 6. §. 9.* imò potest quis alio tempore promptius respondere, cum sæpe ex præfenti dispositione humorum alteretur animus. Brunnem. *ad l. un. Cod. eod.*

CAP. XXVII.

De Exceptione.

Axioma I.

Exceptio actionis est exclusio. *l. 2. de except.* intellige nimirum de mera & simplici, non verò de exceptione in se actionem vel accusationem continente. Casus in *l. quoniam Alexandrum 26.* & ibi omnes notant *C. de adult. Jas. in l. libertus. col. fin. ff. de in jus voc.* Hinc videmus, quod excommunicato & bannito permittatur excipere, & sic se purè & simpliciter defendere *cap. cum inter. de except.* agere verò vel reconvenire, vel excipere eo modo, ut reconventio ex exceptione resulter, non licet, juxta Innocent. *in cap. si vero de sentent. excomm.*

Ut tamen hæc se habeant, ratione tamen forma probandi reus dicitur actor, quoniam is non minus exceptionem quam actor intentionem.

probare debet. *l. 1. de except.* unde prosequi causam dicitur *in cap. 11. extra de except.*

Declarat, Axioma verum esse, si actio strictè & propriè accipiatur, secus si large: cum appellatio persecutionis omne remedium ordinarium & extraordinarium comprehendat. *l. pecunias 179. §. actiones 2. ff. de V. S. l. dolus 44. ff. mandat. vid. Lud. Gomez. ad §. superest. Instit. de action. num. 49.*

II.

Exceptiones nil aliud sunt quam defensiones, defensiones autem sunt juris naturalis. Roland. à Valle *consil. 3. n. 2. & consil. 12. n. 44. vol. 3.* Decian. *conf. 35. n. 47. vol. 1. & conf. 14. n. 84. vol. 3.* Menoch. *consil. 383. n. 4. vol. 4.* nec ipsi diabolo deneganda. Welsemb. *consil. 47. n. 177.* atque inde exceptiones dicuntur acquitare nisi. Cravett. *consil. 900. n. 29.* quæ mater exceptionum appellari solet. Menoch. *conf. 332. n. 4. vol. 4.* Roland. à Valle *conf. 35. n. 54. vol. 2.* Hermann. Vultej. *3. Consil. Marpurg. 20. n. 68.*

III.

Exceptio generica nullius est momenti, Bart. & Dd. *per il. text. in l. textores Titia 36. ff. de legat. 1. ubi & Alex. n. 2.* quanquam si à parte non opponatur, ea admittatur. Alex. *d. l. n. 3. vide. Vasq. lib. 2. contr. jur. cap. 32. n. 14.*

IV.

Exceptio regulæ una posita cæteræ exceptiones exclusæ arguuntur. *l. 12. §. idem 43. ff. de instrum. leg. quod & Cicero in orat. pro Balb. confirmat; ait enim, si exceptio fecit, ne liceat, ubi necesse est licere, ubi non est exceptum. Bocet. de investit. feud. cap. 4. n. 1.*

V.

Exceptiones dilatoriæ ante litem contestatam sunt opponendæ. *l. 19. C. de prob. l. ita demum 13. C. de procurat. Gail. 1. observ. 38. Myns. cent. 4. observ. 59. Donell. lib. 22. comm. 9. circ. fin. Cujac. lib. 13. observ. 34. Borcholt. consil. 4. assert. 29. Arum. disput. 19. exerc. 7. Matth. Steph. cent. 4. quest. illustr. 61. tit. c. Henon. in quest. controvers. disput. 22. n. 13.* post eam enim contestatam aut post statutum à iudice terminum ex non amplius recipiuntur. *cap. pastoris C. de except. Intellige nimirum de dilatoriis iudicii, non de dilatoriis actionis & causæ, de qua agitur, veluti est exceptio de non petendo intra certum tempus; hanc enim proponi posse, lite demum contestata, sicut & reliquas peremptorias exceptiones, patet ex l. exceptionem 19. ubi Dd. C. de probat. vid. Myns. cent. 1. observat. 24. Welsemb. in part. ff. de exception. n. 10.*

VI.

Exceptionem in scriptis proponi necessum non est. Bart. *in l. scire oportet. ff. de excusat. tut. Cuman. in l. 1. de except. Vasq. 2. contr. jur. c. 32. n. 3.* nec requiritur in ea conclusio. Socin. *in d. l. 1. col. 2.*

VII.

Ad excipiendum quæ profunt, eadem proficiunt & ad replicandum. *l. 2. C. de jud. l. ult. C. de edend. Welsemb. 1. consil. 3. n. 15.*

VIII.

Quod non est exceptum, secundum regulam iudica-